

inferiorum omnino dimittebant, et, quod humanarum mentium merito terret, acres, consanguinei et amici quantumcunque propinqui dilectissimorum suorum decumbentium fugientes aspectum naturali subtracto humanitatis solacio infirmos quosque in domibus et cubiculis solos et omni destitutos obsequio donec exalarent spiritum dimiserunt. Communiter siquidem huius, qui fortes corpore incedebant et videbantur magno robore fore sani, cum tamen essent morti iam proximi, vix superfuisset vix modicum vite spatium, quo suis mortuis possent exhibere officium sepulture, quasi ipsimet super mortuorum cadavera que sepeliebant subito decumbentes puerent adhuc vivi. Apparuerunt autem regulariter huius pestilencie decursu in corporibus hominum et de subtercutaneis humoribus erumpentes quedam elevationes turgide super cutem ab extra cum inflatione quasi incipientium apostematum initia sive signa, quibus erumpentibus statim concomitabatur in toto corpore doloris vehementia febricitantis, quibus passionibus infra tres vel ut plurimum infra quinque dies homines illius temporis infecti celeriter spiritum exalabant.^{a)}

^{a)} sequitur lemma textui insertum in cod. quod tamen reiciendum iudicamus:

Bellum regis Francie et Anglie. Rex Francie capitur per regem Anglie.

Inter hec cum inter illos duos reges potentissimos videlicet Philippum regem Francie et Eduardum regem Anglie supradictos iam longo Marte crebris bellorum incursibus

a)